dignus ẽ cui ignoſcatur & cytharedus.i. canẽs in cythara ridetur.i. deridetur q oberrat ſp eadẽ
chorda. Talis enĩ ẽ incorrigibilis et ſtolidus reputand⁹.ſic .i. eodẽ modo ille videlicet poeta q
ceſſat multũ.i.oſſitãs & negligẽs eſt in multis locis fit mihi.i.reputat̃ a me ille q.d.notiſſim⁹ che
Cherilus. rilus.i.mal⁹ poeta q alexandrũ magnũ ſecutus bella eiuſdẽ deſcripſit cui alexander dixiſſe fert̃
malle ſe therſiten homeri eſſe q̃ huius achillem.i. viliſſimum gręcorum ab homero deſcriptum
q̃ pręſtantiſſimum qui a cherilo poſſet deſcribi .depactus autem eſt cherilus cum alexandro vt
ſi bonun verſum faceret aureo numiſmate donaretur:ſin malum colaphis feriretur: qui ſæpe ma
le dicendo colaphis nectus eſt vt dicit Acrovnde poeta Quem ſupple cherilum ego miror cum
riſu .i. cum irriſione bonum ſupple eſſe bis terq; id eſt in duobus aut tribus verſiculis. Et idem
id eſt ego idem indignor. i.ęgre fero poetas malos ſcribere auderem ꝙ ſi qs dicat Homerus bo=
nus.i. ꝑfectus: dormitat ideſt negligenter agit qñq;.i.aliqñ. Rñ.poeta ac ſi dicat fateor quidem
verũ .i.ſed fas ẽ .i.licitũ ſomnũ.i. dormitationem obrepere.i. latẽter interuenire lõgo opi q̃tum

fuit homeri. Peccant ergo q licētia abutunt̄ in epigrāmate vno qua vſos vident poetas in opē magno. Comparat deinde poeta ſicut in principio hui⁹ opuſculi poeſim picturę: qa ſicut picturarū quędā ꝓpter aptos colores licet mēſurā nō ſeruauerit lōgi⁹ ſtātib⁹ & ſemel īſpiciētib⁹ placet. Et q̄dā ꝓpt ſymmetriā.i.bonā cōmēſurationē ꝓpe ſtantes & bñ īſpiciētes plus delectat: ita & poeſis quædā ſemel audita placet: quia canora & iucunda videt̄ ſed vbi noſcit̄ neq; œconomiā neq; decorū ſeruaſſe vilipendit̄. q̄dā .ſ. illa obſeruās decies repetita placet: vñ dicit poeſis .i. cōpoſitio poetæ erit vt pictura q̄ .ſ. pictura capiat.i.delectet te magis ſi ſtes propius. Et quędam id eſt alia ſupple te magis delectet ſi abſtes.id eſt ſi ab illa ſis longius.hęc .ideſt delectans longius ab ſtantē / amat obſcurum.id eſt in obſcuro videri: & hęc quę magis delectat ꝓpius viſa volet videri ſub luce qua.ſ.luce nō formidat argutum.i.ſubtile acumē.i.ingenium & examen iudicis: hęc id eſt q̄ vult delonge & in obſcuro videri placuit ſemel.i.cū primū viſa eſt: & hęc volēs de prope et ſub luce videri placebit repetita.i.reuiſa decies.i.frequētiſſime. Aduerte lector. Intercidit verſiculus ponēdus poſt illū. Nā itaq; &c. hic Poſcētiq; grauē perſępe remittit acutū. Regula eſt. Nota

❡Cum tria prętendant poetę: aut prodeſſe tantum: aut delectare tantū: aut ſimꝉ vtrūq; efficere: qui prodeſſe volent aliquid docendo ſint breues et dilucidi: q delectare. ſint vero ſimiles & dulces nec quicq̄ a vero abhorrens fingant: Qui vero ſiꝉ et vtiles & dulces ſunt: palmarium auferunt. Quod ſi qui penitus pręſtare nequeunt: ne ſint tñ ob id incorrigibiles: nec ſibi in modico quouis carmine vendicent licentiā: quam homero & maroni cęteriſq; grauibus poetis in magno opere conceſſam viderint. Potius aūt molientur verā artem q̄ delectabilē imitationem ac ſiſitudinem ſeruare vt quanto interius ac penitius cognoſcantur tanto magis delectent & amentur: quod et picturis bonis contingere ſolet.

ſ O maior iuuenum: q̄uis & voce paterna
Fingeris ad rectū & per te ſapis: h⁹ tibi dictū
Tolle memor: certis mediū & tolerabile rebus
Recte concedi: conſultus iuris et actor
Cauſarum mediocris abeſt virtute diſerti
Meſſalę: neſcit quantum caſſellius aulus
Sed tamē in precio eſt: mediocrib⁹ eē poetis
Non dii. nō homines nō conceſſere columnę:
Vt gratas inter menſas ſymphonia diſcors
Et craſſū vnguentū & ſardo cū melle papauer
Offendunt: poterat duci qa cęna ſine iſtis
Sic animis natum inuentūq; poema iuuādis
Si paulum ſummo deceſſit vergat ad imum.
Ludere qui neſcit cāpeſtribus abſtinet armis:
Indoctuſq; pilę diſci ve trocive quieſcit:
Ne ſpiſſę riſum tollant impune coronæ:
Qui neſcit verſus tñ audet fingere: quid ni
Liber & ingenuus pręſertim cenſus equeſtrē

Hic blāde cohortatur ad caſtigationē poematis oſtēdens poetā niſi ſummus ſit non poſſe laudari cum tñ in cæteris rebus vt Ariſtoteles in topicis auctor ē Mediocre laudemus tanq̄ bonū: et cauſam eius rei ſubiungit dicēs poema nō eſſe neceſſitatis ſed voluptatis. poſſem⁹ enim ſine nūero & metro qđ cōcepimus eloqui. ꝓinde ſicut in ſecūdis mēſis vbi ſaturi ſum⁹ cibi vulgatiores ieiunis ventribus grati reijciunt̄ & bellaria niſi ſuauiſſima ſint diſplicēt: ita poema niſi optimū & cōpoſitiſſimū vileſcit. quocirca conſulit quid impitioribus agendū ſit. Monens vt opus cōpoſitū cōſeruēt ſibi in nonū annū. & demū relegāt qa q̄ ſub ito calore captis placēt: refrigeratis diſplicēt & qa cuiq; ſua placēt monet vt ad ꝑitiorū referant iudiciū dicēs. O maior iuuenū.i.q grādior es īter duos filios piſōis q̄uis.i.licet aut q̄tūuiſ. tu figeris.i. īſtitueris & cōponeris: &.i.ſiꝉ: voce .i. eruditione paterna.i.patris tui piſonis viri optimi & eruditiſſimi fingeris dico ad rectū.i. verā artem: & ſapis.i. ſapiēs es: aut artē percipis & deguſtas: ꝑ te id ē proprio ingenio fretus: tñ ſup. tolle .i. aufer a me: memor.i.recordaturus: hoc dictum tibi.i.ad tuā eruditionē. mediū

Summã nummorũ:vitioq; remot9 ab omni
Tu nihil inuita dices facieſq; minerua:
Id tibi iudiciũ eſt.ea mens.ſiquid tamẽ olim:
Scripſeris in mœti deſcendet iudicis aures:
Et patris & noſtras nonũq; p̃matur in annũ.
Membranis intus poſitis delere licebit
Quod non edideris:neſcit vox miſſa reuerti.

id eſt mediocritatẽ & tolerabile.i. tolerãtiã concedi.i.pmitti recte.i.debite: certis.i.quibuſdã reb9.q̃uis enĩ quiuis cõſultus iuris.i.iuris peritus qui ĩ iure cõſulitur. Et actor cauſarꝫ.i.cauſidic9 mediocris.i.mediocriter erudit9 ab eſt virtute.i.a pitia meſſalæ diſerti.i. optimi iuriſcõſulti & neſcit.i.nõ ſcit tm̃ q̃tum Aulus Caſſellius:optimus actor cauſarũ. Sed tñ.i.attamen eſt in p̃cio.i.multi magni faciũt eum.ſed ſup.hoĩes dij: & colũnæ.i. pilę vbi poetæ ponebãt epigrãmata ſua nõ cõceſſere poetis eſſe mediocribus.i.vt poetę ſint mediocres & laudentur quia vt id eſt queãdmodũ ſymphonia.i.cõſonãtia carminis diſcors.i.male cõpoſita & vnguẽtũ craſſum id eſt mali odoris/ſicut leuem odorẽ dicimus ſuauẽ:& vt papauer.i.pulmẽtariũ ex papauere cõpoſitũ cum melle ſardo quod peſſimi ſaporis eſt:ſicut & corſicũ ꝓpter copiã taxi arboris amariſſimę cuius florẽ depaſtę apes mella amara cõficiunt.vñ Virg. Sic tua cyrneas fugiant examina taxos.vt inquam hęc incõdita fercula offendũt.i.lędunt:cõuiuas inter mẽſas gratas.i.obſonia delectabilia.qa poterat duci.i.pfici:ſine iſtis vilibus eſculentis:ſic poema natũ id eſt inuentum animis iuuandis.i.delectandis hoc eſt ad delectationẽ animorũ Si deceſſit ſummo.i.a ſumma ꝑfectione paulũ.i.modicũ vergit.i.tendit ad imũ.i.ad infimã ęſtimationẽ quia nõ laudat̃ mediocre.Et tñ omnes etiã indocti audent poema cõficere.quod ęgre ferens poeta dicit. Is qui neſcit ludere.i.luctari & exercere res militares abſtinet armis campeſtribus.i.nõ vtitur inſtrumẽtis quibus in campo martio excercetur iuuẽtus romana.Et indoctus pilæ.i.qui neſcit ludere pila ve ꝑ

Trocus.

vel diſci.i.maſſę rotundę quã in aerẽ ꝓijciunt:aut troci.i.quaternarij ſcd̃m acronẽ. Nam græci quaternarios trocos vocãt:aut troci.i.rotę quã currẽdo pueri ſcutica regũt Sunt tñ q putẽt turbinem ex buxo dici quo pueri exercent̃ ſed hic pro exercitio militari accipitur. quieſcit.i.abſtinet a ludo.ne coronę.i.circũſedentes in modũ coronę ſpiſſę.i.denſę:tollant.i.eleuent et extollant impune.i.paſſim:riſum.i.vocẽ irriſiõis.Et tñ ſup.is q neſcit.i.ignorat:verſus.i.artẽ verſificatoriã:ſeu metrificandi:audet fingere.i.cõponere. Rñdet poeta per obiectionem cũ ſtomacho & indignatione quia pantipophorã.Quid ni.i.cur nõ audeat fingere verſus.Liber.i. nulla ſeruitute tentus:Et ingenuus.i.ex libera matre natus prę ſertim.i.p̃cipue cenſus.i.cenſitus ſummã nummorũ equeſtrem.i.vſq; ad ſummã quadringẽtorũ ſeſtertiũ quę ſola dignum reddidit vt quis eques romanus fieret:& remotus ab omni vitio. Ad hoc poeta abnuendo:& quatiendo caput ſolũmodo reſpondet.nõ enim eſt reſponſione dignum.q.d.faciant tales inepte ſuperbientes & ſibi placentes qui incorrigibiles ſunt quod volunt.Ego certo ſcio ꝙ tu maior piſonũ nihil dices & facies minerua.i.ſapientia inuita.i.nolente.i.quod tibi a ſapientia negatum eſt:id.i. tale iudicium eſt tibi.et ea.i.talis mens: id eſt animus eſt tibi tamen ſi quid ſcripſeris olim.id eſt qñq;.i. tempore futuro ſup. illud deſcendat.i. tranſeat in.i.ad aures mœti.i.mœtij iudicis qui perdiligens carminum fuit exiſtimator.Habet autem primã longam etiam apud virgilium ideo mœti pro mœtii dicit.Et in aures patris tui lucii piſonis & noſtras.i.meas:& p̃matur.i. occultet̃. in.i. vſq; ad nonum annum quia licebit.i.licitum erit delere.i.caſtigare & auferre quod male poſitum eſt:mẽbranis.i.chartis in quibus ſcripſiſti poſitis.i.repoſitis intus.i.penes te:in ſcriniis tuis.q̃d non edideris.i.nõdum promulgaueris: Sed vox miſſa.id eſt emiſſa neſcit reuerti.i.irreuocabilis eſt.vnde alibi volat irreuocabile verbum.& pħs Quod ſemel dictum eſt amplius reſumi non poteſt. Regula autem eſt.

¶Quoniam quę in in cęteris fere rebus laudatur mediocritas:in poetis non recipitur:qui niſi ſummi ac perfectiſſimi ſint nihil laudis meruerint (quę enim ad voluptatem comparantur ſi non delicatiſſima fuerint reiiciantur:ſicuti bellaria min9 ſapida ſaturis appoſita) nemo carmen audeat edere quod non ſit ad vnguem caſtigatum & bonorum iudicio probatum:atq; ne ſubito calore iam recens natum placeat nonum recondat̃ in annum:quia ad non emiſſa ſemper tempeſtiua fuerit caſtigatio:at neſcit vox miſſa reuerti.

Silueſtres homines ſacer interpreſq; deorū
Cędibus et victu fœdo deterruit orpheus:
Dictus ab hoc lenire tigres rapidoſq; leones.
Dictus & amphyon thebanę conditor vrbis
Saxa mouere ſono teſtudinis:& prece blāda
Ducere quo vellet.fuit hęc ſapientia quondā
Publica priuatis ſecernere ſacra prophanis:
Concubitu prohibere vago:dare iura maritis
Oppida moliri:leges incidere ligno:
Sic honor & nomen diuinis vatibus atq;
Carminibus venit:poſt hos īſignis Homerus
Tyrtheuſq; mares animos in martia bella
Verſibus exacuit:dictę per carmina ſortes
Et vitę mōſtrata via eſt.& gratia regum.
Pieriis tentata modis:luduſq; repertus:
Et longorum operū:finis:ne forte pudori
Sit tibi muſa:lyrę ſollers.& cantor apollo.

Quia poeta oñdit artē poeticā eē diffi cillimā quippe in qua nemo verā laudē niſi qui eā in ſummo attigerit merit⁹ ſit oſtēdit eandē eſſe digniſſimā quā totis viribus nrīs ſtudeamus aſſequi. Ea nāq; eſt q̄ pria hoīes a feritate ad māſuetudinē: ab incultis ſilueſtribuſq; morib⁹ ad vrbanos: a cędibus ferinis ad ciuilē cōcordiā cōuocauit. Eadē eſt qua p̄diti nō ſolū ſummis mortalibus vtpote imperatoribus triumphātibus verūetiam diis immortalibus cōparētur. ipatorib⁹ quidē & ſummo cuiq; victori: qa eadē palma eadēq; laurus fortiter agēti & eū qui fortiter egerit diuine laudanti decreta eſt. neq; id quidē ab re aut citra meritū. Nā ſi victori in iuſto bello deorū immortaliū gl'ia: q triūphus eſt: decernif: Non tā q; hoſtiū victor affect⁹eſt q̄ quo eiuſmodi gl'ia ad cōſilem victoriā mortales aīos facile pelliceat: iuſtiſſime eadem gl'ia poetæ vtpote tantūdē aut eo quidē amplius de repu. merēti adiudicatur. Qui etenī fortiter agit ſemel quidē et id paucis cōſpiciētibus facit: q vero fortia & inclyta geſta recitat illa mille milies legi relegiq; pōt. Quinadeo/nō minus poetarū pręconia q̄ fortiſſimi ducis dextra in bello ꝓfuiſſe cōpta ſunt. Homerica ſiquidē tuba cū alios multos tum alexādrū illū magnū ad fortiter agēdū inflāmauit vſq; adeo vt ſtās ad ſepulchrū achillis fortunatos diceret illius manes q homerū meruerint hr̄e p̄conē. Quod alij ſic dictū volūt. O fortunate adoleſcēs q tuę virtutis p̄conē homerū inueneras Silius aūt italicus his verſibus. Fœlix ęacida cui tali contigit ore Gentibus oñdi: creuit tua carmie virtus. Tyrtheus aūt (pro quo qdā apud iuſtinū mendoſe/Cyrtheū ſcripſerūt. Et fere omnes textū poetę deprauātes legūt Dirceuſq; mares) Lacedæmonios pluſq̄ dexterrimus quiſq; ducū adiuuit. quē tyrtheū vocari & ęneas Silui⁹ ſeu papa pi⁹ in ea ep'la in qua de laude poetica loquif: & ſexcēti alij atteſtanf Eius aūt hiſtoriā acro recte tangit dicēs Lacedęmonijs diu aduerſum atheniēſes certātibus oracula r̄ñderūt nō aliter victoriam poſſe hr̄e niſi atheniēſem ducē habuiſſent Miſſis legatis q hoc ab atheniēſibus poſtularēt Atheniēſes in cōtumeliā ipſis tyrtheū quēdā claudū dederūt dicētes iuxta ignauiā ipoꝝ hūc eis ducē poſſe ſufficere. ſed oracula q̄ ꝓmiſerūt nō fruſtrata ſunt. nā tyrtheus licet corpe eſſet debilis ſcripſit tñ carmē heroicū: quo accenſi lacedęmonii in aciē ꝓceſſerūt ſicq; cōſecuti ſunt victoriā. Itē tyrtheus fuit gn̄e atheniēſis poeta deformis omni pte mēbroꝝ is primus tubā inuenit quo etiā Lacedęmonii vſi duce vicerūt meſſenios. Nā cū diuturno tēpe inter lacedęmonios & meſſenios bellū traheref Conſuluerūt lacedęmonii apollinē quibus reſponſum eſt nō aliter eos poſſe vincere niſi cum duce atheniēſi pugnarent quibus athenienſes tyrtheum dederunt & ita lacedęmonii vicerunt cum hoſtes nouus tubæ ſonus terruiſſet. hęc Acro cuius ſecūdę ſentētię aſſentitur porphirio. Sed Iuſtinus ī epithomatis trogi libro tertio plenius exequif hiſtoriā dicens. Inter ea meſſenii cum virtute nō poſſent per inſidias expugnantur. Deinde cum per annos octoginta grauia ſeruitutis verbera plęraq;: vincula cęteraq; captę ciuitatis mala ppeſſi eſſent: poſt longā pœnarum pœnitētiam/bellū inſtaurant. Lacedęmonii quoq; eo cōſpiratius ad arma cōcurrunt quo aduerſus ſeruos dimicaturi videbantur. Itaq; cum hinc iniuria inde indignitas aīos acueret lacedęmonii de belli euētu oraculo delphis conſulto iubenf ducem belli ab atheniēſibus petere Porro athenienſes cum reſponſum cognouiſſent in contemptum ſpartanorum tyrtheum poetā claudum pede miſere qui tribus p̄lijs fuſus eo vſq; deſperationis ſpartanos adduxit vt ad ſup-

Poetica laus.

Triūphus

Tyrtheus

plementum exercitus ſeruos ſuos manumitterēt iiſqꝫ interfectorum matrimonia pollicerētur vt non numero tantum amiſſorū ciuiū / ſed & dignitati ſuccederēt. Sed reges lacedęmoniorū ne cōtra fortunā pugnando maiora detrimēta ciuitati infunderent reducere exercitū voluerūt. Ni interfuiſſet tyrtheus q̄ cōpoſita carmina pro cōtione exercitui recitauit. In quibus hortamēta virtutis damnorū ſolatia: belliqꝫ cōſilia conſcripſerat. Itaqꝫ tantū ardorē militibus iniecit vt nō de ſalute ſed de ſepultura ſolliciti teſſeras ſuis & patrū ſuorū noībus inſculptis dextro brachio deligarent vt ſi omnes aduerſum p̄lium cōſumpſiſſet & temporis ſpacio confuſa corporum lineamēta eſſent ex indicio titulorū tradi ſepulturæ poſſent. cum ſic animatū reges exercitum viderēt curant bellū hoſtibus nunciare. Meſſeniis autem non timorem res ſed ęmulationē mutuā dedit Itaqꝫ tantis animis concurſum eſt vt raro vnq̄ cruentius p̄lium fuerit. ad poſtremū tamen victoria lacedęmoniorū fuit. Hęc ille Ad eam ergo victoriam tyrthei nō parū profuerunt carmina. Diis vero immortalibus in hoc comparant̄ poetę: ꝙ dictę per carmina ſortes quia ſcd̄m Pli. Heroicū carmen oraculo debetur abs quo inuentū eſt. Pręterea lyrę ſolers et cantor apollo fuit. Ordo igitur eſt. Orpheus theologus ille & antiquiſſimus poeta: ſacer quia muſarum ſacerdos & interpres deorum qui voluntatē deorum menti ſuę inſpiratā mortalibus expoſuit: deterruit .i. deterrendo abduxit homines ſilueſtres .i. in ſyluis habitantes: cædibus .i. a mutuis interfectionibꝰ: et fœdo id eſt turpi victu. quia nonnulli crudis carnibus veſcebantur: omnes vero beluino more viuebāt & dictus eſt ob hoc .i. quia hoc faciebat: lenire .i. mitigare cātu ſuo & demulcere tigres & rapidos leones. Et amphion vates thebanus: cōditor .i. reperator (ſcd̄m quoſdam) vrbis thebanę quæ ē in thracia: dictus eſt mouere .i. mouiſſe ſono teſtudinis .i. lyræ ex teſtudine primum factæ. ſaxa ideſt lapides quibus cōſtructa ſunt mœnia thebana: quia inſtigauit homines ad ea ex lapidibus conſtruenda: & dictus eſt ducere p̄ce blanda .i. blanditiis ſuis ſaxa ſupple eo quo vellet Sapientia cui homines ſtudebant fuit quondam hęc .i. in huiuſmodi rebus: ſecernere .i. ſepare ſacra id ē res ſacras prophanis .i. a non ſacris quę procul ſunt a phano. Et prohibere .i. arcere homines a concubitu vago .i. meretricio extra matrimonium & dare maritis iura ſicut ſunt iura dotium: & moliri .i. cum mole & difficultate facere oppida .i. operimēta ciuitatum cuiuſmodi ſunt mœnia Et incidere ligno .i. tabulis ligneis: leges .i. publicas ſanctiones. Et honor & nomen venit ſic .i. per huiuſmodi opera vatibus .i. poetis diuinis .i. diuino ſpū afflatis. Et carminibus .i. poematis eorum: Homerus poeta ille inſignis .i. illuſtris & nobiliſſimus et tyrtheus vates ille athinieſis exacuit .i. inflāmauit & acres fecit verſibus ſuis in bęlla martia .i. cruenta qualia mars gerit aīos mares .i. viriles. fortes .i. reſponſa apollinis ſunt dictę .i. data per carmina heroica ſcilicet. Et via vitę .i. ideſt ratio viuendi vtpote philoſophia eſt monſtrata per carmina: & gratia regum eſt tētata .i. ſollicitata: modis pieriȷs .i. muſicis hoc eſt proxima via ineundi gratiam regum ē eos eorumqꝫ geſta laudare. Ludus vtpote ſcęnicus eſt repertus .i. inuentus modis pieriȷs. Et finis longorum operum .i. recreatio omnis laboris ſupple inuenta eſt pieriis modis .i. modulationibus vel finis .i. laudatio & merces omnium operum & ne .i. vt non muſa ſit tibi pudori .i. verecundiæ propter eius vilitatem aut difficultatem .i. Apollo deus ille magnus eſt ſollers id eſt diligenter peritus: lyrę: illius inſtumenti muſici quod a mercurio inuentum dono accepit. Et inuentus eſt cantor .i. modulator q. d. quod deo honori eſt homini pudori eſſe non poſſe. Ne quid autem titubes puer quia diximus epithomatis et poematis in ablatiuo plurali quia id docti fere vſurpant licet recentiores poematibus dicere malint. Cauebis præterea ne cum vulgo dircæum legas: licet amphion dirceus ſit: quia manifeſta hiſtoria tyrtheum dici probat & acronis interpretatio. Cui etiam ſuffragatur ꝙ Homerus dicitur non mœonius aut mœonides: vt duo ſint propria nomina: nam vt vſitate dixeris mantuanum et ſiculum: ita minus apte vergilium & ſiculum ſed Vergilium & theocritum: ſicut hic Homerus & Tyrtheus. ſed acta agimus.

Regula autem eſt hęc.

¶ Ne vero ob difficultatem contemnatur poetica prouincia attendenda eſt eius vtilitas ac dignitas. Vtilitas quidem quia primi laude digni mores: primęqꝫ leges ac ciuitates laudandę a quouis viro eloquentia & muſis prędito ſunt inſtitutę: atqꝫ ob gloriam adipiſcendam quam carmina pariunt conſeruatę. Dignitas vero ꝙ et apollo qui oracula ſua heroicis verſibus edidit: muſicę peritiſſimus comprobetur: & tam deorum q̄ hominum laudes carminibus contineantur.

Natura fieret laudabile,carmen an arte
Quæſitū eſt.ego nec ſtudium ſine diuite vena
Nec rude qd proſit video,ingeniū: alterius ſic
Altera poſcit opem res:& coniurat amice.
Qui ſtudet optatam curſu cōtingere metam
Multa tulit fecitqꝫ puer:ſudauit & alſit:
Abſtinuit venere & baccho:qui pythia cātat
Tibicen didicit prius extimuitqꝫ magiſtrum.
Non ſatis eſt dixiſſe ego mira poemata pāgo
Occupet extremū ſcabies:mihi turpe reliq eſt
Et quod non didici ſane neſcire fateri.
Vt p̄co ad merces turbam q cogit emēdas
Aſſentatores iubet ad lucrum ire poeta
Diues agris:diues poſitis in fœnore nūmis.
Si vero eſt vnctum qui recte ponere poſſit
Et ſpondere leui pro paupere & eripere atris
Litibus implicitum:mirabor ſi ſciat inter
Noſcere mendacē verumqꝫ beatus amicum.
Tu ſeu donaris ſeu quid donare velis cui
Nolito ad verſus tibi factos ducere plenum
Lęticiæ.clamabit enim pulchre.bene recte.
Palleſcet ſuper his:etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem:ſaliet:tundet pede terram.
Vt qui conducti plorant in funere:dicunt
Et faciūt prope plura dolentibus ex animo: ſic
Deriſor vero plus laudatore mouetur

Natura fieret lau dabile carmenan atte Quęſitumeſt &c.

Quia vetus eſt opinio poetā naſci.i. ſponte muſarū ingeniiqꝫ beneficio prodire:oratorē vero fieri.i.diligēti eruditione tradētis & feruenti ſtudio accipiētis.Nec enī dicūt poetā poſſe euadere q nō idē ad hoc natus ſit.Proinde diuinꝰ ille Plato inter cætera q̄ de futuro poeta tradit indicia id habet ꝙ poeta non ſumit artificii ſui incremētū.vn̄ apud noſtros diuinus Maro nō minus artificioſe ſeruauit humilē characterē in bucco. et mediocrē in geor.q̄ ſublimē in ęnei. quapropter heſiodus apud gręcos dixit ſe potū caballino fonte nullo labore a pecudum cuſtodia ad poetarū collegiū vocatum.Et Ennius apud latinos dixit ſe ſola receptiōe animę homericæ repente poetam euaſiſſe: qua opinione perſuaſi multi eruditionē & ſtudia contēnunt iactātes ſeſe ad poeticam natos Quos poeta noſter hic irridet & eiꝰ imitator Perſius in principio operis ſui vn̄ ſic dicit Quęſitū eſt.i.quęſtio & dubitatio fuit inter grāmaticos & poetices ſtudioſos ſup.an carmen laudabile id ē dignū laude:fieret natura.i.ſoliꝰ naturę beneficio:an arte.i.eruditione & ſciētia per ſtudiū acquiſita.Ego īquit poeta nec.i.et non:nō video quid ſtudium id eſt diligens exercitatio diſcentis proſit.i.ꝓficiat alicui aut vtilis ſit ſine diuite vena.i.benignitate naturę qua carmina abundantius ꝓueniūt.Nec video quid ingeniū.i.beneficiū naturę nobiſ ingenitum proſit rude.i.quod eſt incultum & nulla eruditiōe adiutum:ſic id ē vſqꝫ adeo : altera res vtpote ingenium poſcit.i.requirit opem.i.auxiliū alteriꝰ ſup.rei videlicet ſtudii:et cōiurat amice id eſt amicabiliter cōſpirat ſic vt nunq̄ quid boni faciat īgeniū ſine ſtudio nec ſtudiū ſine ingenio.Moleſte autem fert poeta ſolos poeticę ſtudioſos eruditionem et diligētiā contēnere cum cęterarꝫ rerum poſſeſſores tam feruenter ſtudeant.& dicit ſupple is qui ſtudet contingere id eſt alios attingere/curſu . id eſt currendo metam optatam id eſt limitem ſtatutum in ſtadio:tulit id eſt paſſus eſt& fecit puer id eſt a pueritia multa id eſt multas res vt pote: ſudauit id eſt ſudorem emiſit in ęſtate &alſit id eſt algorem ſeu gelu per hyemem ſuſtinuit & abſtinuit venere & baccho id eſt luxuria & vino nimio. vn̄ Virgilius in carmine de venere et vino .Nec veneris nec tu vini capiaris amore Vno namqꝫ modo vina venuſqꝫ nocent.Vt venus eneruat vires ſic copia vini &c.Et ſupple is tibicen qui cātat pythia.i.carmē in honorē apollinis ꝓ pythone īterēpto decātatū:didicit priꝰ:& extinuit mgr̄m.i.nullus ignorās artē muſices muſicā ꝓfitet̄ etiā in īferioribꝰ rebꝰ vtpote ī ducēdis tibiis niſi forte q eandē prędidicit & tn̄ in arte poetica ſatis eſt id eſt videt̄ ſatis eē dixiſſe.i.vt quis di-

Poeta naſcitur.

cat per iactantiã. Ego pango.i.compono & cõficio mira.i.admirãda poemata.ſcabies.i.turpis prurigo & lepra occupet.i.inuadat extremũ .i.eum q vltimus ſcribet verſuſ. Turpe.i.indecorũ eſt mihi reliqui.i. vt ego relinquar et fateri me neſcire ſane.i. vt ſanũ decet quod non didici. Et hoc metaphoricos locutus ẽ poeta vtens trãſlatione a ludo puerorũ. ita enĩ pueri currẽtes aiunt occupet ſcabies in extremo remanentẽ. verũtamẽ quia laus in proprio ore ſordet & nõ veriſimile eſt multos ꝓpria opinione tam illudi oſtẽdit ad eam aſſentationẽ accedere Ideo dicit poeta. vt id eſt queẽadmodũ ſup. facit p̃co qui cogit.i.cõpellit turbã.i. multitudinẽ ppl̃i ad emendas merces. ſic poeta diues agris & diues nũmis poſitis in fœnore.i. datis ad vſurã iubet aſſẽtatores ire id ẽ venire & accedere ad lucrũ: vero pro ſed ſi ſup. aliquis eſt qui poſſit.i. valeat ponere.i.añponere recte.i.debite vnctũ.i.obſonium pingue quod Perſius ſic interp̃tatur. calidũ ſcis ponere ſumen ſcis trita horridulum comitẽ donare lacerna. hoc eſt qui poſſet ſpondere.i.interuenire & fideiubere ꝑ paupere cliente ſup. leui .i. facili & emaci adulatore. Et qui poſſit eripe.i. deliberare implicitum.i.inuolutũ & irrititum: litibus.i. contẽtionibus atris.i. obſcuris & dubiis vel nociuis: ego mirabor ſi ip̃e beatus .i. tã diues ſciet internoſcere.i.diſcernere amicũ mendacẽ.i.adulatorem & verum. Tu o maior piſonũ ſeu.i. ſiue donaris.i.iam donaueris qd.i. aliquid: cui .i. alicui: ſeu.i.ſiue velis donare.i. donaturus es nolito ducere ad verſus factos tibi.i.a te ſup. virũ plenum letitię.i. hylaritatis ꝓpter bona tua vel pinguem propter obſonia tua Sicut in georgico. Quid faciat lętas ſegetes. quoniã pro quia talis ſup. audiens verſus tuos clamabit pulchre ſup. verſus tuos eſſe compoſitos & bene et recte . & palleſcet.i. prę nimia admiratione ſe pallidũ finget. ſuper his videlicet verſibus tuis Et ſtillabit.i.effũdet rorẽ .i.lachymarum guttas ex oculis amicis.i.ex nimia lęticia quã de proſperitate tua habet qua ſe amicũ ſignificat & ſaliet.i.præ nimia lęticia exultabit: & tundet.i.ꝑcutiet pede ſuo terram vt.i. quemadmodũ ſup. ij qui cõducti in funere.i.ad funebre obſequium plorant dicunt & faciũt prope.i.quaſi plura dolentibus id ẽ ijs qui dolent ex animo. i.de vero corde ſic id eſt eodem modo deriſor id eſt callidus aſſentator mouetur: i. demonſtrat ſe affici plus vero laudatore.i.eo q ad verũ laudat. Regula eſt.

❡ Tametſi quęſitum eſt an carmen laudabile fiat natura.i.pręſtãti ingenio ac diuite vena naturę: an arte id eſt ſtudio & eruditione: et vt viſum eſt democritus (qd' etiam aſſerit quintilianus) bonitati naturę plus concedit: non tamen perfectum (qui ſolus laudatur) poetam efficiet ſine ſtudio: quocirca cum in aliis certaminibus atq; exercitiis qui pręmia tollere volunt multos labores ſubeant: idem poetis faciundum eſt: qui ſibi placere non debent. nec aſſentatoribus pręſertim ſibi obnoxiis fidem habere.

Reges dicuntur multis vrgere culullis:
Et torquere mero quẽ perſpexiſſe laborant
An ſit amicitia dignus. ſi carmina condes
Nunq̃ te fallant animi ſub vulpe latentes.
Quintilio ſi quid recitares: corrige ſodes
Hoc aiebat et hoc. melius te poſſe negares
(Bis terq; expertum fruſtra delere iubebat
Et male tornatos incudi reddere verſus)
Si defendere delictum q̃ vertere malles
Nullũ vltra verbũ aut operã ſumebat inanem
Quin ſine riuali teq; & tua ſolus amares.
Vir bonus & prudẽs verſ9 rep̃hendat iertes

Vt in p̃fatione noſtra diximus auctor in calce opis ſui potiſſimũ ad diligentẽ caſtigationẽ cohortat̃: quippe cui9 negligentiores romanos offenderit. Cęteꝝ quia dicere inſtituerat qs minus idone9 ſit caſtigator vtpote q̃ mẽſa tua captus eſt ꝑgit oñdens ſolertiã & prudẽtiã veterũ regũ.i. principũ cõuiuiorũ quos reges cum alii tum martialis pſępe vocat quorũ morẽ ſic exponit. Reges id eſt p̃ diuites viri dicunt̃ vrgere id eſt torquere mſ̃tis culullis i.calicib9 vinariis. Eſt enĩ diminutiuũ a culeo q eſt ſaccus ſiue vter ex corio in quo vinum reponebat̃ vñ poeta car.j. Diues & aureis mercator xicceet culullis. vina ſyra repata mercé: qa vero ſub obſcuritate dictũ videri poteſt declarat ſequẽtibus more virgiliano dicẽs & ꝑ.i. dicũtur torquere mero. i. dicunt̃ cõtrahere ad cõfeſſionem

Culeus. Culullus.

Culpabit duros: incomptis allinet atrum
Tranſuerſo calamo ſignum: ambitioſa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget
Arguet ambigue dictum: mutanda notabit:
Fiet ariſtarchus: nec dicet cur ego amicum
Offendam in nugis: hę nugę ſeria ducent.

puro vino: eum ſup. quē laborāt. i. conātur perſpexiſſe. i. perfecte cognouiſſe an ſit dignus amicitia. q. d. diuites vt capiant: vina bona proponūt qa ebriꝰ et pueri & fatui dicēt tibi verum. Tu autem miſer vt capiatis. verum vt noſcat piſo quis bonus ſit caſtigator & quodnam eiuſdem officium pergit dicens: ſi condes carmina: animi latentes ſub vulpe hoc eſt ſub dolo vulpino nunq̄ fallāt te. i. caue ne te fallant ingenioſi homines laudantes mala carmina ſicut in apologis ęſopus illius phrygij fabulatoris: Coruus illuſus eſt a vulpe & emūctus caſeo quē in ore ferebat. dicebat enim vulpes pulcherrimā fore auiū ſi canere ſciret: q captus laude & canere incipiēs caſeū demiſit: quo habito q̄ prius laudauerat deridere cœpit: ſed ſi tu recitares quid. i. aliqd compoſitionis tuę quintilio videlicet vario cremonenſi poetę & virgilij amico: aiebat. i. diceret ad te ſodes qđ blandiētis eſt. q. d. ſi audes puer corrige hoc & hoc. i. hunc & hunc errorē ſi ſup. negares te ſupp. poſſe facere melius iubebat. i. iuberet te expertum. i. quē expertus eſſet bis & ter fruſtra ſup. operatum eſſe delere. i. penitus deponere vel potius ſic iubebat te exptum bis & ter fruſtra. i. qui feciſti periculū an poſſes carmen tuū inconditū reſarcire fruſtra. i. inuanū delere verſum & nouum facere. & reddere incudi. i. nouo artificio cōponēdi verſus male tornatos. i. male cōpoſitos: ſed ſi tu malles. i. magis velles defendere delictū. i. errorē tuum q̄ vertere. i. corrigere: nullum. i. non vllum: non ſumebat vllum verbum aut ſup. vllam operam inanem. i. ſine vtililitate vltra Quī id ē quo minus amares te & tua ſup. carmina: ſolus ſine riuali. i. æmulo. Riuales enim ſunt vnīꝰ amatores qui ſæpe inter ſe rixantur quod tractum eſt a ruſticis vel a tauris ad vnum riuum conuenientibus. Vir bonꝰ & prudēs rep̄hēdet verſus inertes. i. ſine gnauitate & arte factos Et culpabit duros. i. maleſonantes & allinet. i. apponet atrum ſignum. i. maculam atramenti: calamo trāſuerſo. i. penna per tranſuerſum ducta. incomptis. i. verſibus inornatis: & recidet. i. amputabit ornamenta ambitioſa. i. ſuperflua & ad ſolam pompam facta. Et coget dare verſibus parum claris. i. obſcuris: lucem. i. claritatem. Et arguet. i. damnabit dictum. i. quod dictum eſt ābigue id eſt dubie. Et notabit. i. nota indicabit mutanda. i. quę debeant mutari: & fiet ariſtarchꝰ. i. ariſtarchi ſimilis qui grāmaticus homeri carmina annotauit verubus & ſtellis. quem imitatus etiam eſt hieronymus noſter. Nec ſupple vir bonus & prudens dicet cur ego offendam. i. lędam amicū ī nugis. i. rebus vilibus qualia ſunt carmina incondita Ideo autem non dicet hæc: quia hæ nugæ id eſt huiuſmodi facilia carmina & incondita ducent. i. afferent ſeria mala vtpote malam dicendi conſuetudinē & incorrigibilitatē quod in arte poetica grauiſſimum peccatum eſt. Regula eſt.

Vulpina fraus.

Riuales.

Ariſtarchꝰ

¶ Sicut reges id eſt principes conuiuiorum paraſitos & cęteros familiares vino torquere ſolent vt quam ieiuni diſſimulant veritatem fateātur: ita poeta aduigilare debet vt de carminibus ſuis verum obtineat iudicem Qualis poetę tempore erat quintilius. nec tamen ſatis eſt bonū iudicē obtinuiſſe niſi ill obtemperaueris.

In mala deriſum ſemel exceptumq; ſiniſtre
Vt mala quē ſcabies: aut morbꝰ regius: vrget
Aut phanaticus error: & iracunda dyana
Veſanū tetigiſſe timēt: fugiuntq; poetam
Qui ſapiunt: agitant pueri: incautiq; ſequūtur.
Hic dum ſublimis verſus ructatur: & errat
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foueamq;: licet ſuccurrite longum

In mala. Hic oſtēdit quo demētię pueniat poeta malus ſibi placens & incorrigibilis: eo. ſ. vt veluti fera q̄uis ab oībꝰ vitetur: q̄ ſi quē arripuerit ad ſatietatē vſq; longa recitatiōe torquet. Ordo aūt in principio ſcđm acronē eſt cōtinuandus cū ſuperioribus vt ſit. hæ nugę ducēt in mala ſeria. i. in malas neceſſitates Poteſt tñ ſic accipi vt. i. quēadmodum ſup. is quē ſcabies mala. i. quoduis genus leprę: aut morbus regius / quē quidam demoniacū: alij comitialē / alii arq̄

Clamat io ciues:non ſit qui tollere curet
Si curet quis opem ferre:& demittere funem
Qui ſcis an prudens.huc ſe deiecerit:atqꝫ
Seruari nolit dicam:ſiculiqꝫ poetę
Narrabo interitũ.deus immmortalis haberi
Dũ cupit empedocles:ardentẽ feruidus ætnã
Inſiluit:ſit ius:liceatqꝫ perire poetis:
Inuitum qui ſeruat idem facit occidenti
Non ſemel hoc fecit:nec ſi retractus erit:iam
Fiet homo:& ponet famoſę mortis amorem
Nec ſatis apparet cũ verſus factitet vtrum
Minxerit in patrios cineres:an triſte bidẽtal
Mouerit inceſtus:certe furit:ac velut vrſus
Obiectos caueę valuit ſi frangere clatros
Indoctum doctũqꝫ fugat.recitator acerbus
Quem vero arripuit tenet.occiditqꝫ legendo:
Non miſſura cutẽ niſi plena cruoris hirudo.

tum vocãt.Et quẽ gręci hicteron dicũt vrget.i.torquet:aut error phanaticus.id eſt furor quo ꝑcutiũtur qꝛa phanis tã gũtur/& limphatico agitanꝫ hoc eſt q alicuius numinis furore vexãtur:qui & lĩphatici & ceriti dicũtur Et ſup.is quẽ diana iracũda.i.offenſa & lęſa vrget.i.perſequitur furore ſubaudi ab omnib⁹ fugitur ſic omnes qui ſapiũt timẽt tetigiſſe poetã veſanũ.i.male ſanũ & deprauatũ:qꝫ ꝓ et fugiũt eũ ſup. deriſũ in mala.i .in malũ eius: quia ſine emẽdatione:et exceptum.i.correptũ ſemel ſiniſtre.i.ſine vtilitate eius.et pueri agitant .i.perſeq uũtur vt inſanũ:et incauti vt ĩ docti qui vicioſũ hominẽ cauere neſciunt ſequũtur .i.imitãtur .poteſt etiam cõſtrui ſine ſubauditiõe verbi ſic Qui ſapiunt timẽt tetigiſſe poetã ve ſanum Et fugiunt poetã deriſum ſemel ĩ mala & exceptũ ſiniſtre vt eum quẽ mala ſcabies aut eũ quem morbus regius vrget hic.i. huiuſmodi malus & ĩcorrigibilis poeta dũ ſublimis.i.glorioſ⁹ et ſibi placens ructatur.i. eructat & euomit verſ⁹ ſuos vel dũ ructaꝫ verſus ſublimis magnificos & altiloquos et errat.i. captus

Merula. furore illo vagaꝫ ſi decidit.i. deorſum cadit veluti auceps .i. captator auium intẽtus.i. operã dans merulis ſup.capiendis Et ẽ merula auis quę mera.i.ſola volat cũ turni gregatim volent:in puteũ & foueã.licet clamet longũ.i. longo tẽpore Io ciues.i.o boni vicini & cõciues mei ſuccurrite mihi ſup.pereũti Nõ ſit ſup.aliquis qui curet tollere.i. erigere eũ ex fouea:ꝙ ſi q̃s curet ferre opẽ.i.auxilium & demittere.i.deorſum in puteum mittere funẽ id eſt reſtem vel chordã qua eum extrahat.ego .i.quiuis aſtãs dicã.i.dicere poſſit qui ſcis.i.quõ ſcis an qui in puteo eſt prudẽs.i.ſciens & volens deiecerit ſe huc id eſt in hũc puteũ atqꝫ nolit ſeruari .Et ego narrabo.i.quis aſtãs narrare poterit ĩteritũ .i.mortẽ poetę ſiculi videlicet empedoclis. Et dicã deus ĩmortalis haberi &c.Pro hoc cõtextu intelligẽdo priuſq̃ ꝑgamus operępcium ẽ cognoſcere vim ſimilitudĩs aucupis & poetę errabundi in foueã decidẽtis:quę tracta eſt ex apologis. Aucupes enĩ aucupio intẽti vt aues emiſſas recipiãt miro modo

Aucupũ casus. clamare ſolẽt.Et ſeſe nõ nunq̃ ne auis capiendis terrori ſint in puteos ac foueas demittere. Quorum clamore excitati agricolæ vicinij & accurrentes vt auxiliũ ferant ab ipſis cũ deriſu & execratione dimiſſi ſunt.Euenit autem poſtea vt ijdem aucupes capiendis auibus nimiũ intenti in nõ præuiſas foueas inciderent:Et cum clamarent io ciues ſuccurrite propter illuſionem pręteritam nullus accurrit & ita ſubmerſi ſunt. Similem fabulam habet ęſopus de paſtoribus ſępe falſo cõtra lupum auxiliũ petentibus quod cum vere petebant non habebãt.in hoc autem eſt aucupi ſimilis poeta ꝙ cum ſępe correptus noluit ab errore diſcedere:ſi in foueam deciderit credatur prudens & volens incidiſſe.bene autem dicit poeta prudens & nõ prudenter quia ml̃ti ſciẽtes et prudentes peccant.Nemo ſcienter & prudenter Empedoclis autem hiſtoria ſic ab acrone recitaꝫ.Em

Prudens. pedocles fuit agrigentinus philoſophus pythagoricus qui ſe in flammas ætnę montis ſicilię ĩ

Prudenter iecit ĩmortalitatẽ affectãs: vt videlicet ĩ cęlũ credaꝫ trãſlat⁹.qđ ei⁹ crepidulę prodiderũt q̃s flãma

Empedocles. eructauit: ęreis ei vſus fuerat.Is dicebat ĩgenia frigido circũ ꝑcordia ſanguĩe ĩpediri.Crepidulæ ſũt q̃s ſoleas vocãt.Ordo igiꝫ ẽ.Empedocles dũ cupit haberi.i.iudicari de⁹ ĩmortalis frigid⁹.i.maleſan⁹ inſiluit ętnã.i.montẽ ſicilię ardẽtẽ Et igiꝫ ſit ius & liceat poetis qđ licuit philoſopho

nimis inſano ſup.is q̲ ſeruat.i.eripit a morte inuitũ.i.volẽtem ſeip̃m occidere:facit idẽ.i.ſimile
occidenti.i.qui occidit & interficit. Cuius dicti rationẽ ſic Landinus colligit. Si quis inquit ſe=
ipſum ꝑdat idem ille erit & cędens & cęſus. Hũc igitur ſi ſeruabis nõ ſolũ eum ſeruabis q̲ occide
batur ſed eũ quoq; q̲ occidebat &ita erit ſimilis occidenti:ſed nõ ꝓcedit hęc ratio .mens enim di=
centis eſt ꝙ tantũ peccat q̲ volẽtem mori ſaluet ac qui nolentem interficiat. Et rationẽ ſubiũgit:
quia q̲ ſemel ita affectus eſt: vt ſeipſum velit occidere nunq̃ poſtea erit homo. i .ſanę mentis vt
more humano ſupuiuere velit. Et ita tanto aut maiore malo affeceris ſeruando volẽtẽ mori q̃to
bono priuaueris volẽtem viuere occidẽdo eũ Neq; requirit̃ extrema veritas:hic ex inuidia cõtra
poetã malum loquẽtis.inducit̃ enĩ quiuis de vulgo ip̃m in fouea dep̃hẽdens & dicẽs ip̃m furore
ꝓprio ꝓpter grauiſſimũ crimen in eã incidiſſe Et addẽs nec pro et nõ/& ſup.poeta hic nõ fecit ſe
mel ſup .dũtaxat immo frequẽtiſſime.hoc q̄d nũc fecit.i.non ſemel p̄cipitauit ſeſe in foueã Nec
et nõ:& ſi erit retractus.i.iterũ extractus nõ erit iã.i.poſthac:hõ.i.ſanę mentis. Et.i.nõ ponet.i.
deponet amorẽ.i.cupiditatẽ mortis famoſę qua ſeipſos occidẽtes pereũt ſicut Hãnibal et Cato
Nec apparet ſatis.i.nõ eſt ſatis cognitũ & pſpectũ :cũ factitet verſus.i.cũ ſit ſępe ĩſanus vtrum
minxerit in cineres patrios.i.patris & an ipſe inceſtus .i. inceſto pollutus mouerit .i. violauerit Bidẽtal.
et ꝑturbauerit:bidẽtal triſte.i.locũ fulmine tactũ & bidẽte piandũ quẽ nephas erat tetigiſſe . Vñ
Perſius ſaty.ij. An quia nõ fibris ouiũ ergẽnaq; iubẽte Triſte iaces lucis euitandũq; bidẽtal &c.
Certe.i.quęcũq; cã fuerit certũ eſt ꝙ fuit ac pro et ip̃e recitator carminũ ſuorũ acerbus .i. ingrat⁹
et iniocũd⁹ fugat ĩdoctũ& doctũ.i.oẽs mortales velut.i.ſicut vrſus aĩal illud ferox ſi valuit fran
gere clatros.i.cãcellos & oppoſitiões oſtiorũ caulę ſuę:vero ꝓ ſed tenet.i.detinet q; pro et occi=
dit id eſt interficit & necat legẽdo.i.recitãdo malos verſus ſuos quẽ arripuit.i.in fuga cape po= Harũdo.
tuit exiſtens hirudo.i.tanq̃ hirudo.i.ſanguifuga nõ miſſura.i.talis q̃ nõ dimitteret cutẽ plenam Hyrundo.
ſanguinis.niſi ſup.ſit plena cruoris.i.ſanguine ſaturata. Eſt aũt diſcrimen inter harundinẽ hy= Hyrudo.
rũdinẽ. Nã harũdo cãna eſt. hyrũdo auicula & hyrudo ſanguiſuga: quę ſanguinẽ exugit. Tãgit
ergo vltimo loco vitiũ inepte & moleſte recitãtiũ/de q̲bus Iuuenalis ſaty.j. Semp ego auditor
tm̃:nunq̃ ne reponã Vexatus totiens rauci theſeide codri. & alibi. Et auguſto recitãtes mẽſe poe
tas. De quibus etiã poeta noſter ſępe in ſermonibus meminit. Sed canẽdũ eſt nobis receptui.

Regula autem eſt hęc.

¶ Summopere cauendum eſt ne in opinione noſtra perſiſtentes incorrigibiles
ſimus:& dũ gloriam captamus omnibus ridiculi ſimus : quod vitium pulchre vita
uerimus ſi ſapientum iudicio auſcultauerimus.

Hec ſunt adoleſcentes ſtudioſiſſimi quę in pñtis opis declarationẽ ſubito calore vobis olim de
coximus:atq; nũc tenerius pulmentarium quo tamen ad ſolidiorem cibum educari poſſitis : be=
niuola lance ſubminiſtramus. Valete.

Finitum eſt hoc opuſculum ipſius Aſcenſii opera : in inclyto parrhiſiorũ gym
naſio ad idus ſeptemb. anni M D III. Venundatur autem vbi cętera huius poe=
tę opera In vico diui Iacobi ſub diuo martino & leone argẽteo. Et in monte diui hi
larii ſub leunculis aureis.

0177

H503
-H8110